



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. x.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

ne vescitur, à potu omni quo inebriari potest se continere. Et si biberit potum, minimè carne vescatur, absque præcipuis festis diebus. De armis verò vel osculo, & sacrificio, modum teneat iam dictum. Inde vsque ad obitum suum, nisi prædictis festis diebus à carne abstineat: tres ferias legitimas in omni hebdomada, & tres quadragesimas in anno legitimè custodiat. De armis verò vt supradictum est, & nunquam aliquando coniugio copuletur. Hæc eadem pœnitentiâ imponenda est patricidis, vel fratricidis, vel consanguineis, nec non & qui spontè per fraudem, & avaritiam, hominem innoxium occidit, quod morchidû vocat.

*De illo qui cum matrem habuerit vxorem, cum filiastra fornicatus fuerit. Cap. IX.*

*Ex eodẽ cap. 2.*

**S**I quis viduam vxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus concubuerit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio fornicata fuerit, tales copulationes anathematizari & desungi, præcimus, nec vnquam amplius coniugari copulari, sed sub magna districtione fieri.

*De eadem re. Caput X.*

*Ex cõcil. apud Vermeriam, cap. 10.*

**S**I quis cum filiastra sua fornicatus fuerit, nec matrem nec filiam potest habere: nec illa, nec ille aliis se poterunt coniungere villo vnquam tẽpore. Attamen vxor eius, si ita voluerit, & si se continere non potest, si posteaquam cognouit quòd cū filia sua vir eius fuit in adulterio, carnale cõmertium cum eo nõ habuit, si vult alij nubere potest.

*De illo qui cum nouerca fornicatus est. Cap. XI.*

*Ex eodẽ cap. 21.*

**S**I quis cum nouerca sua dormierit, neuter possunt ad coniugium peruenire: sed vir eius potest si vult aliam accipere, si se continere non potest. Similiter qui cū filiastra sua, vel cum sorore vxoris suæ dormierit, stare potest.

*De illo qui cum filiastra, ignorante matre fornicatus est. Caput XII.*

*Ex eodẽ cap. 4.*

**S**I quis cum matre & filia fornicatus est, ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat vxorẽ: illæ verò si voluerint accipiant maritos. Si autẽ hoc fecerint ipsæ fœminæ, absq; maritis in perpetuum maneat.